

nibus S. Matthæum secutum, in ordine tamen narrationis à capite 4. 12. usque ad 14. 13. illum deserere, ut S. Luca, & S. Joanni adhaereat. Nec de generatione Jesu Christi seculari, neque de ejus crepundis quidquam attingit, opus suum exorsus à prædicatione S. Joannis Baptistæ. Parabolas etiam plures omittit, relatas apud S. Matthæum cap. 20. & 21. & 25. sicut & sermones nonnullos ad Discipulos & Phariseos, legendos in capp. 5. & 6. & 7. & 16. & 23. S. Matthæi.

Acta S. Marci à Bollandistis vulgata ferunt, scriptum à S. Viro Evangelium Aquilejæ, ejusque Autographum ipsum esse contendunt, quod in eadem Urbe servabatur. Vide quæ de Evangelio Latino S. Marci scripsimus.

De autoritate postremi capituli S. Marci, vel saltem de duodecim postremis versiculis ejus Evangelii, dubitatum est apud Veteres (1). Unum hoc Evangelium recipere Hæreticos nonnullos testatur S. Irenæus lib. 3. c. 2. Ferunt, viro huic Sancto demandatum fuisse munus Evangelii prædicandi in Ægypto, Thebaide, & Lybiâ Cyrenaicâ, quò scriptum à se in Italia

1 Hieronym. ep. 150. Nissen. de Resurrect. hom. 2.

Evangelium detulerit. Therapeutas illos, de quibus Philo de Vita Contempl. primos fuisse S. Marci Discipulos, plurimum sententia tenuit (m). Martyrium igne consummavit (n) Alexandriæ, vel saltem defunctum ejus corpus igni traditum, in cineres favillasque abiit.

Suspiciatur Grotius, S. Marcum Hebræo S. Matthæi Codice in Versione sua adornanda usum, sicut vicissim interpretem Græcum S. Matthæi, præ oculis habuisse Textum Græcum S. Marci (o); reocurrunt enim in S. Matthæo & Marco similes loquendi phrasæ; quasi scilicet postremus hic Scriptor, qui omnium sententiâ S. Matthæi summam dedit, non æquè potuisset phrasæ Græci Interpretis S. Matthæi in suum Opus transferre. Facile persuasum habuit Grotius, Evangelium Hebræum S. Matthæi nondum Græcis literis traditum fuisse, cum S. Marcus ad scribendum se conferret. Addit in suis Prolegomenis ad S. Marcum, Versionem Latinam ejusdem Evangelii remotissimâ esse antiquitatis, nec semel Textum Græcum ad Versionem illam Latinam reformatum fuisse.

m Euseb. l. 2. c. 17. Histor. Hieronym. de viris Illust. Epiphani. hæresi 29. n Eutyebius Patriarcha Alexandrin. Chronic. Alexandr. Hippolyt. in Ms. Boletii Dorab. & Anonym. apud Mill. in capite Evangelii S. Marci. o Grot. Præfat. in Matth.

c. 4. Macc. 6.

† Joseph. Antiq. l. 13. c. 9.

d Lib. 18. c. 2.

e 1. Maccab. 4. 15. 16. Conempto Templo, & sacrificiis neglectis, festinant participes fieri palæstra & præbitionis ejus injustæ, & patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur... & eorum instituta amulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hostes & peremptores habuerant. Vide 1. Maccab. l. 15. 16. f Circa A. M. 3830. quocum nos componimus initium gymnasii Jerosolymæ constituti. g Eccles. 7. 21. alibi sapiens. h Hieronym. in Usam 8. Quas domus Nazaræ duas familias interpretantur Sammai & Hillel, ex quibus orti sunt Scribæ & Pharisei.

mentum superest in 4. Maccabæorum apocrypho, ubi legimus (c), ætate Hircani Summi Sacerdotis, & Principis Judæorum fuisse inter Judæos tres Doctores Sectas, nempe Phariseorum, Saducæorum, & Esseniorum. Paulò ante eam ætatem Josephus constituit (†), nempe statim post relatam epistolam Jonathæ Summi Sacerdotis ad Lacedæmones. Hæc epistola data est anno 3860. Jonathæ anno sequenti defuncto successit Simon; cui post imperium octo annorum successit Hircanus, ad novem & viginti annos nationi præfuit.

Epocham harum Sectarum neque Author 4. Maccabæorum, nec Josephus determinant; sed postremus iste, qui imperantibus Vespasiano, & Domitiano scribebat, alicubi tradit (d), jam inde à multis annis notas esse in gente sua Sectas, nihil exactius de eorum origine referens. Quando autem ab A. M. 3850. decennio nempe ante Epistolam Jonathæ ad Lacedæmones, revocarentur, non longius, quàm 220. sive ad summum 300. à Josepho annis excurrerent. Sed esto, reducamus illas ad eaque usque tempora, quibus Judæi leves, & instabiles honori sibi duxerunt, si contemptis patriis Legibus & studiis, ad illam usque ætatem in populo unice obtinentibus, ad studia & exercitia Græcorum se conferrent (e); id equidem Sectarum non longius originem rejiciet, quàm ad 20. circiter annos (f). Crediderim profectò non aliis, quàm ab anno 3820. repeti Sectas illas posse.

Porro Pharisei imitationi Stoicorum, sicut Saducæi Epicuræorum, studuisse videntur. Utrique enim aliquid ex singulis hisce Sectis in mores, & Leges Judæorum traduxerunt. Porro Pharisei austerum hominum genus, iactabundum, & exactum, Stoicorum mores exprimebant; Saducæi molliores, & faciliores, sed juri suo singulis asserendo inexorabiles. Priores illi propugnabant animæ vitam immortalem, Angelorum, & Spirituum existentiam, sicut & alteram agnoscebant vitam, in qua pro hominum merito sive præmia, sive supplicia distribuerebantur. Molestas rerum futurarum curas omnes excutiebant Saducæi, negantes animæ immortalitatem, & quæ inde sequuntur dogmata. Erant apud Hebræos ipsâ Salomonis ætate viri, quibus Epicuræorum, vel Saducæorum dogmata arridebant, quemadmodum ex Ecclesiaste (g) intelligimus; sed in unum corpus coaluisse illos nonnisi post plures annos constat. Extra controversiam est tamen, vetustiores esse præ Phariseis, nisi communis opinio fallat, tenens, originem illos suam debere Sadok discipulo Antigoni Sochæi.

Phariseorum originem seriùs consignat S. Hieronymus (h), narrans, Scribas & Phariseos accepto referri dissidio, atque divisioni duarum Scholarum Hillel & Schammai. Porro Hilleli in regenda schola successit Akiba, præceptor Aquilæ Pontici, Græcâ Versione Sacrarum Scripturarum celebris. Aquilam autem floruisse secundo Ecclesiæ sæculo quis nesciat? Pertinebat igitur

Differt. Calmet Tom. II.

tur Hillel ad ætatem parum Christum natum præcedentem.

Fidem S. Hieronymi confirmant Rabbinii, quibus Hillel veluti Phariseorum pater reputatur; vel saltem tanquam maximum ejusdem Sectæ ornamentum. Virum hunc hyperbolicè ita laudant, ut nullam fati angustiam titulum alienum ab illo censeant. Celebrant præ ceteris incredibilem animi ad studium contentionem; nec silentium numerum tum meritum Discipulorum. Ex ejus Schola prodierunt viri cum Moyse ipso conferendi, tum & quadraginta alii jura dare Soli, instar Josue, dignissimi. Penès illum princeps in Sanhedrio potestas, & viri fama longè latèque per universum orbem ferebatur. Ganzius in suo Chronico sub Herodis Magni Regno eum virum constituit. Narrat S. Epiphanius Hæres. 15. Scribas & Phariseos quatuor dogmatum suorum Authores vel Doctores classes distinguere: primas tener Moyse, secundas Akiba, tertias Andar sive Annan, alio nomine Judas, Assamonæi quartas; quod satis insinuat Akibam vetustiorum Assamonæis habendum. Sed nimis ista repugnant historiæ rerum ab Akiba gestarum, quippe qui Hilleli in regenda schola successit, & paulò ante Jesu Christi tempora floruit.

Quidquid autem fuerit de vetustate harum Sectarum inter se, his potissimum distinguebantur. Pharisei nominis sui etymon debent voci Hebrææ, quæ separationem (i) significat, quòd illi vitæ frugis & modestæ genere à ceteris Israelitis distinguerentur. Unicè deferebant fato vel casui (k), vel æternis Dei decretis, Dei, inquam, omnia ab æterno certo ordine & ad certos fines dirigentis. Josephus, Phariseus ipse professione (l), testatur ejus Sectæ dogmata ad Stoica fati accessisse (m); addens quoque, non omnia quidem ad fatum referre Phariseos, cum hominibus liberam boni præstandi omittendive facultatem permitterent (n); ut proinde nihil libero hominis arbitrio detraxisse illi censendi sint; quamquam id S. Epiphanius persuasum videtur (o).

In eo autem, quantum ad dogma de fato, ab Essenis discrepabant, quòd hi quidem omnia fato tribuerent, Pharisei verò certas tantum actiones, relicta interim singulis boni agendi omittendive potestate. Semel autem fato deferentes, tradit S. Epiphanius, errandi quadam necessitate ad Astrologiam se totos contulisse, veluti si astrorum contemplatione æterna fati decreta in Cælo exarata, & in ipsa Dei mente scripta legere tandem potuissent.

Neque intra unius familiæ limites, vel ad unum aliquod hominum genus Secta illa restringebatur: noscebantur Phariseorum nomine plures in omnibus Tribubus, familiis, & hominum conditionibus. Quæ verò erant sapientiæ & probitatis apud omnes famâ, hæc viros ipsi Regibus venerabiles ac metuendos exhibuit, quemadmodum luculentò fati documento demonstrat Alexandra, Regina usque ad superstitionem religiosa. Rex ejus femina conjux fato jam de-

i Phares, divi- dero.

k Joseph. l. 18. c. 2. Antiq.

l Joseph. in vita sua, initio. m Idem ibidem. Vide Cicer. de Natur. Deor. De fato. n Joseph. Antiq. l. 13. c. 9. o Epiphani. hæresi 16.

DISSERTATIO

DE PHARISÆIS, SADUCÆIS, HERODIANIS, ESSENIIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De Phariseis.

ANte captivitatem Babylonicam nulla in Religione Judaica Sectarum scissio, uno charitatis vinculo junctum populum dividebat. Legis studio unice occupati omnes (a), atque avitæ Religionis cæremoniis intenti, quæ apud alias gentes in honore erant, studia negligebant. Scholas non alias maximè frequentabant, quàm Templum Domini, & Prophetarum Palæstras, ubi Sacerdotes Domini, Scribæ, Doctores, & homines divinitus inspirati rationem docebant colendi Dei, ejusque præceptis obsequendi. Quamdiu autem Prophetæ in Israele obtinuerunt, in varias sententias abire, cum de Religione ageretur, nemo unquam cogitavit; tantorum enim Virorum autoritas populos veluti sub iisdem signis continebat omnes, & Spiritus, qui Prophetarum ore loquebatur, id maximè præstabat, ut neque Sectæ in Religione ullæ admitterentur, neque in sententiis ab iisdem Prophetis prolatis errati alicujus suspicio induceretur.

a Joseph. contra Apion. l. 1. p. 1038.

Cùm Macchabæorum ætate (b) Altare Holocaustorum à Gentilibus violatum disjiceretur destruereturque, ejus lapides in certo aliquo loco servari Judas præcepit, donec veniret Propheta & responderet de eis. Simoni Macchabæo Reipublicæ summa potestas delata est tandiu, donec surgeret Propheta fidelis (*).

Post captivitatem nulla etiam apparent apud Judæos sectarum vestigia, usque ad tempora Macchabæorum, & Græcorum Imperium; quare nonnisi imitatione quadam Philosophorum Græcorum id sibi tandem susceperunt Viri docti apud Hebræos, ut tres illas Sectas distinguere, Phariseorum, Saducæorum, & Esseniorum. Cùm itaque de Sectis illis non semel in Novo Testamento agatur, è re nostra esse duximus, si originem, & Dogmata illorum panderemus; addentes pariter aliquid de Herodianis, quorum interdum in Evangelio mentio, quamquam secta illa hominum, vel saltem nomen apud Judæos non innotuerit.

Vetustissimum de tribus illis Sectis monumen-

b 1. Maccab. 4. 46.

* Macchab. 1. 14. 41.

decessurus, illam rogavit, ut in partes suas Phariseos pertrahere niteretur. Viri consilium foemina secuta, Phariseis se totam resque suas commisit, qui opportunam hanc nacti occasionem, summam potestatem invaserunt, omnia deinceps ad suum arbitrium moderantes (p). Nec modicè ad eorum augendam potentiam contulit summum in illos populi studium, quod sibi illi specie quadam virtutis, scientiæ & pietatis conciliaverant; doctissimi enim præ omnibus in Legibus & patriis traditionibus habebantur, austerum vitæ genus agebant, externum corporis habitum habebant ad virtutem compositum; cibo utebantur simplici, sensuum & voluptatum blandimenta æquè vitabant (q); tandem ad superstitionem usque literalem Legum observantiam affectabant.

Nihil tamen illis indulgendum censuit Jesus Christus, eorum virtutem ac scientiam passim traducendam suscipiens; illud etiam demonstrans, non nisi simulatione quadam probitatem, qua maxime carerent, affectasse. Jejunia ingeminabant, orationes prolixiores agebant; in decimarum solutione nemo exactior, cum & tributum de rebus etiam in Lege non præscriptis penderent; multa largiendo pauperibus erogabant. Sed tantam virtutem maiori fastu & hypocrisis corrumpebant; hæc enim vitia maxime in Phariseis spectabantur, fastus nempe, ostentatio, dominandi spiritus, atque jactantiæ amor; accedebat laudis apud homines & gloriolæ studium, quod veluti ad scopum eorum omnia & vota & studia & actiones collimabant; similes dealbatis quibusdam & ornatis monumentis (r), quæ in extima superficie splendens, intus saniem recondunt.

Affectabant in vestibus phylacteria sive fascias membranaceas fronti & pulsibus alligatas, quas majores amplioresque, quam cæteri Judæi, ferebant; majoribus etiam fimbriis in palliis utebantur; nec deerant, ait S. Hieronymus in Matth. 23. 27. qui spinis quibusdam fimbrias armarent, quæ gradientium crura pungentes mentem ad Deum excitarent. Lavabant crebrè manus; & quoties è foro in domum redirent, à summo cubito adusque extremam digitum contractas ibi sordes eluebant (s); nec infrequentius frigidâ totum corpus lavabant, quod simul totum purificaretur (t). Eodem balnearum genere eluebant vasa, quibus in mensa utebantur, cubilia, quæ ante mensas infernebant, & alia hujus generis; atque in tantam processerant affectata puritatis superstitionem, ut hominem, quem liberioris vitæ crederent, velut Publicanum &c. ne tangere quidem & cibi cum illo capere aliquid sustinerent (u).

Traditiones de religione à Patribus acceptas scrutari, velut unicam studiorum suorum metam ponebant; ex quo factum, ut Legis onus præceptorum levissimi momenti sarcinâ prægravassent; quin & præcepta quædam majoris momenti corrupis se illos, nimio traditionum suarum studio, Jesus Christus in Evangelio exprobravit. Ita quod in Lege sine limitatione & ex-

pressionem præcipitur, ut honor nimirum & suppetia parentibus ferantur (x), Pharisei ita corruerant, docentes posse liberos ab obligatione subveniendi parentibus eximi, si nempe illis petentibus dicerent: Hoc quod à me tradi postulatis, devotum est Deo, cujus oblationis meæ vos in partem admitto. Si quid iterum parentes à filiis postularent, illi se nunquam daturus per Corban (y), sive per donum Dei jurabant; exinde si quid patri vel matri etiam in extremâ senectâ vel angustâ indulgeretur, piaculo erat. Superstitionem multum provexerant in Sabbati observatione; qua de re sapius cum illis Jesus disceptavit; unde pariter accusationes in illum suas struxerunt Hebræi, contendentes, hominem Religionis Sabbati, quam illi tamen, non Deus, invexerant contemptorem à Deo mitti non potuisse (x). Contendebant, insuper vetitum eâ die ægroto à Jesu Christo curari (a), quamquam id ab ipso solo verbo præstaretur; vetitum etiam ipsis agris arbitrabantur, valetudinem postularum venire (b); nec minus graves habuerunt, quod paralyticus die Sabbati curatus (c), grabatum suum eâ die referret. Apostoli Jesu Christi esurientes, spicas aliquas, manu interim frumentum excutientes, evulserant; sublatis hinc Phariseorum clamores, & ingeminatæ in Jesum ac Discipulos, tamquam violatores Sabbati, accusationes (d).

Plura sibi arbitraria indixerant jejunia, & Phariseus in Templo bis singulis septimanis id à se præstitum jactitabat (e), nempe feriâ secundâ & quintâ, juxta S. Epiphanium Hæres. 16. Nec in jejuniis eadem illis, ac apud ceteros Judæos, sed major severitas. In eos viros ita Jesus Christus Matth. 23. 5. Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocrita tristes, exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Queruntur alibi Pharisei, obtendentes se & Joannis Baptistæ Discipulos crebra servare jejunia, cum interim Discipuli Jesu Christi nihil in cibo & potu à reliquis hominibus distinguerentur (f); & Josephus in Libro de Vita sua narrat, institutum seipsum tradidisse Banno viro frugi, qui nihil coctum paratumque degustaret, solis communibus alimentis è terra productis visitanti.

Mira & supra fidem austeritatis Phariseicæ exempla, quibus purum ab omni macula servare corpus nitebantur, refert S. Epiphanius Hæres. 16. Duris interdum exercitationibus, quatuor integris annis, corpus afflictabant, interdum octo, aliquando decem, antequam matrimonio copularentur. Metu verò, ne quid impuri dormientibus irreperet, somnum sibi assidue ferè interdicens, jugi vacabant orationi. Erant qui super axem spithamâ, nempe 12. digitis, latum cubarent, ut si forte profundius dormire aliquando contigisset, in terram decidentes, ad orandum excitarentur. Inæqualibus acutisque stratum la-

p Joseph. de bello l. 1. c. 4. p. 716. & l. 13. c. 18. Antiquit.

q Idem. l. 18. Antiquit. c. 2.

r Matth. 23. 27.

s Marc. 7. 4.

t Joseph. in vita sua.

u Matth. 9. 11. Luc. 7. 39.

x Exod. 20. 12.

y Marc. 7. 10. 11. 12.

z Joan. 9. 16.

a Luc. 6. 7. Joan. 9. 16.

b Luc. 13. 14.

c Marc. 9. 11. Joan. 5. 8. 9.

d Matth. 12. 1. 2. 3. &c.

e Luc. 8. 12.

f Marc. 7. 11.

lapillis lectum alii sibi parabant, quod somnum vel dormire volentibus fugeret. Ad eum usum alii adhibebant spinas, quarum aculeis ad vigiliis excitabantur. Vitio illis vertit Jesus Christus, quod stantes in Synagogis vel in angulis viarum prolixas ducerent orationes, cum interim ab expilendis viduarum domibus non se continerent (g).

Cum verò nullo Legis præcepto asperum illud vitæ genus præciperetur, neque Pharisei peculiari aliqua lege ad eam rem adigerentur, singuli vitam, qualem quisque sibi conducere arbitrabatur, eligebant; hinc nihil in eorum moribus & disciplinâ uniforme. Septem Phariseorum classes in Talmud distinguuntur. Primam tenebant, qui obedientiam suam gloriâ & utilitate metiebantur; quibus fortè verbis insinuat, non aded opinionum suarum fuisse tenaces, quin commodiora sibi aliqua nacti, veritatis etiam dispendio illis inhærent; secundam, qui gradientes, pedes non levent, nempe vitæ frugi, austeræ & ad modestiam compositæ maxime studeant; tertiam qui in parietem euntes caput eliderent, quousque cruor efflueret è vulnere, facile patientiæ & virtutis vanâ quadam ostentatione, vel saltem nimio durioris vitæ exercitio viribus penè fractis, huc illuc caput præ lassitudine quantant. Quartam, qui intra cucullum quemdam caput abdentes, ex imo ejus, velut è mortarii fundo, respicerent, in solum poenitentia & doloris. Quintæ classis homines audaci quadam spiritus præsentia querebant, quid sibi faciendum esset, se facturos actum profitentes, addentes insuper, nihil superesse quod adhuc non præstiterint. Sextæ classis homines amore virtutis & spe præmii, Legem religiosius servantibus promissi, morigeros se præbebant. Septimam tenent, qui metu poenarum, sive spe præmii illecti, munus suum impleant. In eo censu varii perfectionis Phariseicæ gradus spectantur, sicut & variaz celeberrimæ hujus inter Judæos sectæ classes atque ordines.

Inter Phariseorum curas non infima illa habebatur, qua se totos augendo Profelytorum numero, sive reducendis ad Judæicam religionem Paganis impendebant. Concurrere terras & maria, ut Paganum aliquem ad fidem converterent, exprobrat illis Jesus; cum interim cum virum, quem ab impietate Gentili revocarent, perniciosâ imbutum doctrinâ atque vanis & superstitionis traditionibus suis instructum non ex impio justum, sed impietate ad iniquitatem traducerent (h); pro eo etenim quod illum sanâ Legis doctrinâ instruerent, non nisi corruptis traditionum suarum dogmatibus lætabant. Vitio etiam illis vertit, quod superba veteribus Prophetis monumenta erigere affectarent, altè pariter edicentes, improbare se Patrum suorum consilium (i), qui manus suas Sandissimorum Virorum sanguine cruentassent; cum interim ipsi ejusdem spiritus hæredes pariam eos præstarent, qui saniora sibi persuaderent.

g Matth. 23. 14.

h Matth. 23. 15.

i Matth. 23. 29. Luc. 11. 47. 48.

Sacramenti religio sancta jugiter & inviolabilis apud Hebræos mansit, cautumque Divino præcepto, ne quis in alterius quam Dei nomine juraret (k); vetitum etiam ne quis Deorum externorum nomine sacramento aliquo sese obstringeret (l). Eas Leges Pharisei mirè detorserant. Quicumque, ita illi comminiscerentur per Templum juraverit, sacramento non obligatur, jusjurandum verò per aurum Templi religiosè servandum est (m). Ita pariter nullum est sacramentum per Altare; ritè verò sacramento per munus sive oblationem, quæ est in Altari, adigimur. Invexerant pariter sacramenta per Cælum, per Jerusalem, per caput singuli suum (n), quorum pleraque sacramenta, cum Dei nomen expressum non præferrent, nullâ Religione transgrediebantur, veluti si non æquè semper eadem sacramenti religio constaret, sive per inanime quoddam vel per animatum aliquid in testimonium veritatis Deus statuatur. Templum, Altare Cælum, oblationes Deo factæ, omnia deo Numinis majestate, ad quod pertinent, censentur; cui irrogaretur injuria si præstitum illarum rerum nomine jusjurandum violaretur.

Persuasum habebant Pharisei, animam immortalitate donari, spiritus & Angelos existere (o); tum & genus quoddam metempsychosis, non animarum è vulgo quarumlibet, sed proborum tantummodò admittebant. Porro illis animabus integrum volebant ex alio in aliud corpus migrare, cum interim impii in subterranea loca ad judicium pertracti, æterno & tenebroso carceri damnati essent (p). Eâ persuasione ducti nonnulli autumabant, Joannis Baptistæ sive Eliæ, sive alterius cuiuscumque è Prophetis spiritum in Jesum Christum migrasse (q); ut idem esset Christus ac virorum illorum amplissimorum aliquis.

Josephus alio in loco docet (r), Dæmones homines insectantes, non alios reputandos, quam impiorum hominum spiritus, qui aliorum hominum obidentes interdum corpora, ex orscismorum & adjurationum necnon herbarum virtute interdum migrare coguntur. Quare receptum fuisse apud illos constat, impiorum animas quasdam non statim in Infernis claudi. Vide S. Matthæum 8. 30. 31. Agnoscebant pariter Pharisei, sicut & Judæorum ceteri, futuram mortuorum resurrectionem (s), & quæcumque ex ea sententia deducebantur, omnia à Saduceis impugnata. De his satis nos in Differtatione singulari.

Quam doctrinæ laudem apud omnes sibi comparaverant, ejus sibi retinendæ curâ tenebantur maxime, ipsamque sibi vindicaverant, juxta phrasim Jesu Christi Luc. 11. 52. scientiæ clavem, neminem nisi ministerio suo in Regnum Cælorum ingredi jactitantes; cum alioqui neque ipsi ingrederentur, neque ingredi alios permitterent. Sedere illos dicit Jesus Christus super cathedram Moysi, munere docendi fundos (t); qua in re omnem obtinebant legitimam autoritatem, quare docentes

k Deut. 6. 13.

l Exod. 23. 13.

m Matth. 23. 16. 18.

n Matth. 23. 21. 22. & 5. 35. 36.

o Act. 23. 8.

p Joseph. l. 2. de bello c. 12. & l. 18. Antiquit. c. 2. q Matth. 16. 14.

r Joseph. l. 7. c. 25. de bello pag. 981.

s Matth. 22. 23.

t Matth. 23. 1. 2.